



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

6. De tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

ad præscribendum, veluti centum annorum vel 30. aut 40. Nam regulariter in huiusmodi præscriptione neque de jure Canonico neque de jure civilis requiritur titulus, sed sufficit bona fides cum possessione ranti temporis: quia sapientia multa habemus quæ in rebus nostris, quæ propter diutinam temporis quo titulo accepimus, ignoramus. Videatur Covar ad reg. Posseſſor §. 5. n. 2.

5. Ut verò breviori vel alio tempore ordinario, v. g. 10. vel 20. annorum, contra privatum præscribatur, verus vel privatius requiritur titulus, l. Celsus D. eod. c. Si diligenter hoc sit l. unicus Cod. de usucap transformanda, nisi sit præscriptio rerum incorporalium, l. Signus diuturno D. Si servitus vindicetur: quia tractatur de modo præjudicio, si fecus, si de magno: vel nisi sit præscriptio statutaria, in qua secundum Bald. in l. 2. Cod. De præscript. longi temp. non requiriuntur titulus.

§. VI. De Tempore.

1. Tempus ad usucacionem requiriū est variū.
2. Res mobiles privati hominis triennio usucapuntur.
3. 4. Res mobiles & immobiles sine titulo 30. annis.
5. Immobiles cum titulo 20. vel 20. annis.
6. Contra Ecclesiam Romanam centum annis.
7. Contra aliam plam causam quadraginta.
8. Exceptio.
9. Nomine rerum immobilium que veniant.
10. Servitutes etiam præscribi ad instar rerum immobilium
11. Servitus mixta & realis que dicatur.
12. A quo tempore servitutum currat præscriptio.
13. Quo pacto jura incorporalia dicantur usucapi.

1. **D**enique requiritur, ut tempus ad præscriptionem seu usucacionem à jure præscriptum sit completem: quod tempus pro varietate rerum, quæ præscribuntur, variū est. Et quidem ante Justinianos temporales mobiles in Italia poterant usucapi annali possessione: immobiles verò biennio, l. Institut. De usucap. in princ. Cum verò hoc jus non satis esset consentaneum æquitati, Justinianus illud reformavit, & statuit, * 2. ut igit;

mōbiles hominis privati, vel etiam Ecclesie cuiusvis, triennali possessione ulocuperentur, prout de rebus privati hominis constat ex l. 1. ea Cod. de usucap transform. & institut. d. t. & de rebus Ecclesie ex Auth. Quas actiones Cod. de sacrofandis Ecclesie quæ Authenticæ recepta est in Ecclesia, ut parer ex can. ult. & penult. xxii. q. 1.

3. Ad usucacionem rerum inobilium sine titulo requiruntur triginta anni, sive ex privatae sint, l. 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum, ubi res immobiles contra privatum præscribuntur triginta anni sine titulo (nam indequidem judicandum est de mobilibus, quandoquidem deiis nihil aliud statutum sit, debente titulo;) sive Ecclesie, quia cum Ecclesia in mōbilibus non habeat privilegium, sed tantum in immobilebus, quoad res mobiles censeri eodem jure debet, quo privatus. Videatur Covar ad reg. Posseſſor. §. 5. n. 2.

4. Quod ad res immobiles attinet, ex quoque vel sunt privatorum, ad quarum præscriptionem cum titulo requiriuntur decem anni inter præsentes, viginti inter absentes, Institut. l. loco & d. l. unica. præsentes dicuntur, qui in eadem civitate vel provincia habitant: absentes, qui in diversis provinciis, Abbas in c. De quatuor hec titulo sive res sit sita in eadem civitate vel provincia, sive alibi, etiam trans marenam in præscriptione situs rei præscribendæ non attenditur, l. Cum in longis sanctissim. Cod. De præscript. longi temp.

Quod si quis præsens fuerit octo annis, & postmodum alio miget muranda habitatio- nis causa, ut res immobiles contra ipsum præscribatur, seu potius ut præscriptio, inchoata per octo annos, compleatur, opus erit adhuc quatuor annis, quia super erant duo anni ad eam comprehendam contra præsentem, qui duplicari nunc debent ratione ableniæ, Auth. Quod si quis Cod. de præscript. longi temp.

5. Sine titulo præscribuntur res immobiles triginta annis, c. Sanctorum 3. b. sit. l. Si quis. l. Cod. De præscript. 30. vel 40. annorum.

6. Vel suntres immobiles Ecclesie, ex quo vel Romanæ, ad quarum præscriptionem contra ipsam Ecclesiam requiruntur centum anni. Cum vobis 14. b. t. c. fin. eod. in 6. Auth. Quas actiones Cod. de sacrof. Eccles.

7. Vel alterius Ecclesie, Hospitalis, Monasterii,

terii, aut propria cause, veluti legata, donationes
ad primas causas: & requiruntur quadraginta
anni, ut de Ecclesia habetur, in e. De quarta 4.
h. i. de aliis verò pripar locis & causis d. An*b.*
Quæstiones Covar. in d. Reg. Posseffor §. 2 n. 3.
Idque obtinet, siue sit privatus, qui præscribit,
hie alia Ecclesia, etiam Romana seu Summus
Pontifex, præscribat. * 8. Attamen aduersus
monasteria quædam & Collegia Regularium
et privilegio non præscribitur, nisi lexaginta
annis: veluti aduersus Monasteria Ordinis
Sancti Benedicti. eosque, qui illorum privile-
giis gaudent, & aduersus Congregationem
Sancti Salvatoris Quod si, postquam quis per
quinquennium cœperit præscribere rem immo-
bilium privati cum titulo, ea res devenerit ad Ec-
clesiam inferiorem Romanam, satis erit possidere
deinceps cum bona fide per vigintianos, ut ad-
uersus eam Ecclesiam valeat præscriptio, quia de
ea solum dimidium temporis requisiti ad præ-
scribendum contra privatum inter præsentes: si
vero ad Ecclesiam Romanam pertinere incipiat,
sufficit deinceps possessione quinquaginta anno-
rum. Ceterum ipsa Romana Ecclesia seu Sum-
mus Pontifex, & quilibet alius Princeps adver-
sus privatum eodem tempore præscribere potest
quilibet privatus aduersus alium privatum.

9. Nominе autem rerum immobilium com-
prehenduntur etiam jura & actiones ad immo-
bilia: item census, redditus, beneficia, ius pa-
tronensis ac servitutes: * 10. Nam & hæ quo-
que, saltem mixta & mere reales præscribu-
tur eadem tempore, quo res immobiles, nem-
pe cum titulo decem annis inter præsentes, vi-
ginti inter absentes & sine titulo triginta annis,
l. fin. vers. fin. Cod. De præscript. long. temp.
ut eo casu, quo adebet titulus, in mere reali
servitute requiritur scientia & patientia eius,
contra quem præscribitur. d. l. fin. 1. sed tunc so-
lum quando abeat titulus, l. . & 2. Cod. De ser-
vitib. & aqua,

11. Servitus mixta dicitur, quæ à re debetur
personæ. Talis est ususfructus, qui præscribi-
tur non ratione possessionis, quam ususfru-
ctarius habet in fundo, cùm illa possessione sit
tantum naturalis, sed ratione civilis possesso-
nis ipsius iuris utendi fraudi, securis: quod
vocatur ususfructus, Gomef. Var. resol. l. 2.
cap. 15. sub. n. 20. vers. 16. etiam quia illa pos-
sessor

jeffio. Scivitus merè realis dicitur, quæ à re rei
debetur. Et licet quidam hic distinguant inter-
mera reales continuas, quales volunt esse tigni
immittendi oneris ferendi, stillicidii, & similes,
& inter discontinuas, quales ponunt servitatem
itineris, via, actus, tamen hanc distinctionem a-
lii merito improbant, cum omnes servitudes ha-
bent causam continuam, licet exercitum inter-
dum intermittatur, l. 14. Cod. De servitutibus. §.
28. D. cod. tie. animoque perpetuo retineantur.

12. Cùm autem proxima causa præscriptio-
nis sit continua possessione, sciendum, eam aliter
incipere in servitutibus affirmativis, id est in
quibus tribuitur jus ad aliquid agendum, circa
rem alterius, ut est tigni immittendi aquædu-
ctus, & similes; aliter vero in negativis, id est
quibus jus datur ad impediendum, ne quis ali-
quid agat, v. g. ne altius tollat domum, ne ve-
neretur in tali silva, ne eruat lapides in tali fundo:
nam in affirmativis incipit ab eo die, quo quis
tali jure uitur bona fide; in negativis vero inci-
pit ab eo die, quo quis prohibet vel impedit al-
terum, ne quid agat.

13. Sed quomodo, inquit, servitudes; alia-
que iura incorporalia, usucapi & præscribi pos-
sunt, cum neque tradi neque possideri que-
ant, & sine possessione non contingat usua-
picio seu præscriptio; quia licet proprie non tra-
dantur, nec etiam proprie possidentur, tamen,
sicuti quasi traduntur, & quasi possidentur, ita
etiam quasi usucaptionem seu præscriptionem
admitunt, & quidem instar immobilium, l.
fin. Cod. De præscript. long. temp. l. 2. & penult.
Cod. De servitutib. quia immobilibus annume-
rantur, l. 13. Cod. d. t.

§. VII. Quinam præscribere possint.

1. Tantum præscriptum, quantum possissum.
2. Etiam filius fam., & pupillus usucapere po-
teft.
3. Non servus.

I

L lud nunc restat inspicendum, quinam præ-
scribere possint & quæ res præscribi: Præ-
scribere possunt, qui suo nomine possidere:
quia, ut dictum est, sine possessione non currit
præscriptio; * 1. & inde tantum dicitur præ-
scriptum